





24  
R E C T O R  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
IOACHIMVS SAMVEL  
WEICKHMANNVS

S. S. THEOL. DOCTOR HVIVSQVE PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS ECCLESIASTICI  
ASSESSOR AD OO. SS. PRAEPOSITVS SVIQUE  
ORDINIS H. T. DECANVS

O R A T I O N E M

A

FRIDER. SAMVELE TRAVGOTT SONDERMANN

SANCT. DISCIPL. CVLT

IPSO DIE MEMORIAE EMENDATORVM SACRORVM

CICICCLXVIII

BENEFICI WEYRAVCHIANI CAVSSA

IN AVDITORIO MAIORE

PROCVRATIS SACRIS

H A B E N D A M

C I V I B V S

S I G N I F I C A T

25

**F**ormam quidem ipsam, et tanquam faciem casti de rebus diuinis sensus, anno superiore, hac ipsa data occasione, descripsimus. Quod Plato de sapientiae pulchritudine iudicauit, iure meritoque ad hanc recte sentiendi prudentiam transferendum putamus. ea si oculis cerneretur, mirabiles sui amores excitaret. Imo uero prodit in conspectum nostrum, quoties imago Lutheri, scriptis tot praestantibus expressa, nobis ante oculos obuerfatur, dignissima illa quidem, quam posteritas, tantis illius meritis obstricta, contempletur. Nunc enim dabimus comprobatum, doctrinae munditiam, quae uocetur orthodoxia, studiosissime retinendam, magnaue uidendum cura, ne quid ea, uel culpa infirmitatis humanae, uel scelere, detrimenti capiat. Namque ea uiuimus tempestate, qua luxuriantibus ingeniis uanisque referre nihil uidetur, utrum lucem sequantur, an in tenebris errent, dum iocandi petulanter materia suppeditet. Ipsum stultitia coelum petunt

Si caussa mihi esset apud iudices, a partium studio remotos, dicenda, nullo uincerem negotio. Praemunirem illud, quod nemo sanus dubitat, incorruptam de Deo ac rebus diuinis sententiam modis omnibus obtinendam. error enim parit errorem, et, sicut uera cognatione quadam continentur, sic falsa habent quoddam commune uinculum. Quam necessitudinem mutuam tanta iudicii subtilitate in prom-

promptu posuit Valentinus Alberti, in aureolo libello, quem *Interesse praecipuarum religionum Christianarum inscripsit*, ut Leibnitio semper esset in manibus, Vobis, CIVES, nunquam satis commendandus, quo maturius animos ad cauendum acuatis. Neque enim erratum est ullum contemnendum, propterea quod, in huiusmodi rebus si paullum modo offendimus, aberrare longius mentes, praesertim concitatae feruore disputandi, solent. Compluribus exemplis rerum monumenta gestarum abundant. Sed illud commemorabile proferam, quod haec ipsa literarum sedes mihi sumministrat. Samuel Huberus, in ea sanctiores professus literas, a Caluini familia discesserat. Cuius quo fortius resisteret opinioni, Christi promerita non ad omnes pertinere, incidit in commentum, electionem ad aeternam uitam aequale patere, ac seruatoris beneficium, quo homines ab interitu redemerit. Quod si princeps amicos eligit, num sumit omnes, eos potius praefert, quos aptiores ad rem publicam gerendam uidet. Sic ipsa uox dilectus uirum non malum potuisset in uiam reuocare. Sed semel abreptus, audacius progrediebatur, ipsiusque Paulli blandas compellationes, quibus Colassenses ἐκλῆκτες nuncupauit, in rem suam uertebat perinde, ac si cunctos coelo reciperet, tot aliis legati diuini testimoniis longe clarissimis repugnantibus. Ignorabat enim genus Hebraeum dicendi, quo nominantur selecti, quos singulari complectimur amore. At ille ualde pertinax cohortationibus amicis  
cedere

cedere noluit, de gradu postremo dignitatis deie-  
ctus. Equidem Ioannis Andreae Schmidii commen-  
tarios de uita, opinionibus et scriptis Huberi lego  
nunquam, quin fragilitatem commiserer humanam,  
fecundam corruptelarum plurimarum, inter sese apta-  
rum, parentem, tantoque maioris faciam ex uero de  
rebus diuinis existimandi nauitatem. Sed habet ea-  
dem plures commendationes. Tolle probam de nu-  
mine scientiam, tolles probum Dei cultum. Nam  
sicut ignorati nulla cupiditas excitatur, sic falso cog-  
niti temerarium subit animos desiderium. Quis, cui fa-  
na mens est, probat Atheniensium religiones, quibus  
et plures Deos commentitios coluerunt, et aram  
dedicarunt incognito Deo, ne in tanta Deum mul-  
titudine quendam negligerent, qui sibi uel prodesse  
posset, uel obesse. Eorum uero philosophi, quibus-  
cum Paullus disputat, non minore sunt impruden-  
tia lapsi. Epicurei quidem, negata prouidentia,  
omnem pietatem peruerterunt. Stoicorum uero  
magnifice dicta, de numine per omnia agnoscendo,  
uenerando, laudibus efferendo, uis eius omnibus  
sine tergiuersatione comprobatis, splendorem per-  
dunt omnem, cum primum reputaris, Deum, cum  
natura commistum, coeco fato obstrictum teneri.  
Vniuerse tamen hi bene praecipunt, uero consenta-  
neam Dei notitiam utramque paginam facere. Di-  
cat Epictetus nomine caeterorum sententiam. τῆς  
περὶ τοῦ θεοῦ εὐσεβείας ἴσθι ὅτι τὸ κυριώτατον ἐκεί-  
νῳ ἐστίν, ὁρθαῖς ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν. religionis  
erga

erga Deos praecipuum illud esse scito, rectos de iis  
sensus habere. c. 38. Quae neruose monita Simpli-  
cius ita dilatat *Εἴτε γὰρ μὴ εἰά τις αὐτὰ νομίζει, εἴτε  
εἶναι μὲν, μὴ προνοεῖν δὲ, εἴτε εἶναι μὲν καὶ προνοεῖν, μὴ  
δικαίως δὲ καὶ κατὰ λόγον ὀρθὸν προνοεῖν, οὔτε τιμή-  
σειεν ἂν καὶ σεφθεῖη, ἔτε τοῖς γνωμένοῖς ὑπ' αὐτῶν  
ὑπέκει καὶ τίθεται, ὡς ὑπ' ἀρίστης γνώμης γνωμένοῖς.*  
siue enim quis Deos esse non censet, siue, cum sint,  
non consulere rebus humanis, siue, cum sint et con-  
sulant, neque iuste neque cum ratione bona prouide-  
dere, is neque honore afficiet eos ac ueneratione,  
neque illorum actionibus concedet ac parebit, uelut  
optimo consilio susceptis. Itaque Christi legatus pri-  
mum studet omnium, Deum ignotum facere notum,  
idque ex opere mundi conditi, unde potest ille qua-  
si manibus teneri. Laudat prouidentiam, tam per  
totam rerum uniuersitatem latissime patentem, quam  
singularem in genus hominum. Cum primis beni-  
gnitatem eius commendat, qua per Christum omni-  
bus uiam patefecerit ad salutem, eius opera terrarum  
orbem, certo tempore ac definito, in ius uocaturus.  
Quare tandem haec ea, qua solet, grauitate incul-  
cat. quo facilius mundi effectorem molitoremque,  
omni data opera peruestigatum, tandemque reper-  
tum, iustis honoribus ornent, abiecta falsorum deum  
fraude. Quod si cum uero coniunctae Dei rerum-  
que diuinarum notiones tanto sunt momento ad  
omnem religionem, ut sine iis facile sit labi, errare,  
decipi, quis non orthodoxiam faciat maximi, quae

notitias huiusmodi, animo menteque conceptas, tenet, unde firmæ persuasionis fundamenta iaciantur. Magnis in laudibus est Hercules ille Prodicus apud Xenophontem, quod pubes exiit in solitudinem, de liberaturus de uia uiuendi, cumque duas cerneret uias, unam uoluptatis, alteram uirtutis, hanc fuit post longam commentationem secutus, ut pestem fugiens, felicitate potiretur. Pari uobis est contentione, CIVES, mature cogitandum, cum tot in sanctiore disciplina cernatis itinera deuia periculosissimaque, quæ sit simplex uia, aperta, directa, ne, coecos subsecuti duces, quæ didicistis cum labore operoso molestoque, obliuioni rursus mandare cogamini, aut ambagibus uiarum implicati, quomodo uos expediatis, uix inuenire possitis, aut præter spem opinionemque in uoragines præruptas incidatis. Tam prudenter uos tractando, codicis imperata sanctioris facietis de sanitate doctrinæ diligentissime custodienda. Plenæ sunt seruatoris uoces, ut uanas præscriptiones fallacesque doctorum fraudulentorum, quas cum fermento comparat, per totam massam peruadente, odio prosequamur, ad suam potius regulam, a patre coelesti acceptam, omnes de rebus diuinis sententias, uitam moresque dirigamus. Plenæ amicorum Christi literæ, e quibus unum locum tanto libentius decerpimus, quod claris uerbis conceptisque hoc officium iniungit. Sic enim Timotheum suum Paullus adhortatur (2 ep. II. 15.) *Σπῆ-  
δασον σεαυτὸν δόκιμον παρασησχητὰ Θεῶ, ὁρδοτομῶν-  
τα*

ἐπισησχητὰ

ε



τα τὸν λόγον τῆς ἀληθείας. Hic vulgarem cogor interpretationem deferere, qua legis discrimen atque Evangelii commendetur. Constat enim inter attentos epistolarum Paullinarum lectores, praeceptionibus ueris nuntium de Christo iucundissimum significari. Sed nimis premitur origo uerbi recte secare, unde non potuerunt eiusmodi contortiones non nasci, sicut eadem subtilitas uarias peperit translationes parumque uerecundas, a Suicero in thesauro larga manu congestas. Facilis est et plana uocis enodatio, cum primum tenuerimus, apud LXX interpretes Hebraeorum  $\text{רָחַץ}$  sic reddi, similitudine ducta ab liris agricularum, recte secandis. Quapropter non male Vulgatus conuertit, recte tractare, doctores autem coetus prisca  $\text{ὀρθοδοξίαν}$  atque  $\text{ὀρθοδοξίαν}$  permutant. Quid multa. Cum Paullus statim  $\text{τὰς βεβήλους κενοφωσίας}$ , profanas nugas uanasque disiungat, fatis declarat, esse Timothei, ne quid falsi dicat, ne quid ueri dissimulet, sed, quicquid e tabulis sanctioribus, ipsiusque Paulli, testis locupletissimi, institutione, didicerit, sine uitio conseruet. Idem igitur uult, quod extrema priore epistola praemonuerat,  $\text{την ἑσθίαν τὴν ἐντολὴν ἀσπίλον, ἀνεπιληπτον}$ , mandatam sibi normam incolumem inuiolatamque sine reprehensione tenere. Relinquitur, ut, Paulli iussu, orthodoxiae studeamus impense, atque in spem ueniamus exploratam, fore, ut Deo fides nostra probetur. Huius autem suffragatione quid maius, quid laudabilius, quid beatius

Plura

100 Plura alio, si Deus uolet, tempore. Nunc enim in lucem aspectumque producenda uirtus est Nobilissimi Doctissimique, FRIDERICI SAMVELIS TRAVGOTT SONDERMANNI, *Weissensea-Thuringi*. Is, Weyrauchianae liberalitatis lege deuinctus, magnum Dei beneficium, quo sacra, superiorum temporum contaminata superstitione, in integrum restituit, anniuersaria recolet oratione. Enumerabit autem comoda coetus hodierni Pontificii ex emendatione sacrorum, tot tantisque rerum commutationibus per motus, quibus Pontificis potentatus memoria nostra quassatur. Quod consilium quo maiore cum laude conficiet, eo dignior Vestra, CIVES, beneuolentia uideatur, qui nobiscum uotis precibusque certabitis, ut Deus, fons omnis ueri, sua nos coelesti luce perfundat, quo pignus uerae doctrinae, a maioribus acceptum, qua decet, fide retineamus, tuti mitissimo FRIDERICI AVGVSTI principatu, cuius ille primordia fausta, felicia, fortunata iubeat esse, et cum Saxoniae noua dignitate perpetuaque gloria coniuncta. P. P. III. Kal. Nouembr. cloccclxviii

---

V I T E M B E R G A E

L I T T E R I S C A R O L I C H R I S T I A N I D Ü R R I I

A C A D E M I A E A T Y P I S

Ye 3447

ULB Halle 3  
003 033 120




Sb.

V317

03, 2001 Bd.







24

R E C T O R  
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS  
IOACHIMVS SAMVEL  
WEICKHMANNVS

S. S. THEOL. DOCTOR HVIVSQUE PROFESSOR  
PVBLICVS ORDINARIVS SENATVS ECCLESIASTICI  
ASSESSOR AD OO. SS. PRAEPOSITVS SVIQUE  
ORDINIS H. T. DECANVS

O R A T I O N E M

A

FRIDER. SAMVELE TRAVGOTT SONDERMANNO

SANCT. DISCIPL. CVLT  
IPSO DIE MEMORIAE EMENDATORVM SACRORVM

CICIDCCCLXVIII

BENEFICI WEYRAVCHIANI CAVSSA

IN AVDITORIO MAIORE

PROCVRATIS SACRIS

H A B E N D A M

C I V I B V S

S I G N I F I C A T